





DE  
LITIS IVDICIALIS INITIO

1778

19

3

233.  
200.

P R A E S I D E

D. ERNST GOTTFRIED CHRISTIANO  
K L V G E L

IUR. SAX. P. P. O. IUDICII PROVINCIALIS IN LUSATIAE IN-  
FERIORIS MARCHIONATU ET FACULTATIS IURIDICAE  
WITTENBERG. ASSESSORE

AD DISCEPTANDVM  
PVBLICA DISPVTATIONE

DIE XVII. SEPTEMBR. A. O. R. CICICCCCLXXVIII.

PROPONET

CHRISTIANVS CAROLVS BRESCIVS.

LVBBNNA - LVSATVS.

WITTENBERGAE

TYPIS ADAMI CHRISTIANI CHARISII.

MITS INDIVIDUIS IN LITIO

DOMINI CONSTITUTUS ACCORDANTIA

PERILLVSTRBVS AC GENEROSISSIMIS  
DOMINIS  
DOMINO  
DE WALTHER ET CRONEGK,  
DYNASTAE IN PALAO - MEHSA  
SERENISSIMO PRINCIPI ELECTORI SAXONIAE A CONSILIIS  
MILITARIBVS INTIMIS PROVINCIAEQVE LVSATIAE IN-  
FERIORIS SYNDICO,

DOMINO A T R O S K Y,  
CONSILIARIO REGIMINIS LUBBENENSIS  
DOMINO B E R G A U,  
CAMERAE - COMMISSARIO ET VECTIGALIBVS PRAEFECTO,  
PATRONIS AC FAVORIBVS

PRO  
INNIMERIS BENEFICIIS GRATIAS QVAM MAXIMAS  
AGENDO

D. D. D.

CLIENS DEDITISSIMVS  
CHRISTIANVS CAROLVS BRESCIVS.

A 2



LIBRARIUS UNIVERSITATIS SAXONICO-ANHALTICAE

D O M I N I C U S

DOMINICUS

MOTULUS DOMINICUS

ABELEM SPATIIS ME MATERANTU

SPATIIS A MATERIA TECO SIC IN PECTORE CONSERVANTU

ME MATERIA MATERANTU TECO SIC IN PECTORE CONSERVANTU

SPATIIS MATERANTU TECO SIC IN PECTORE CONSERVANTU



### §. I.

**L**is vnde in iudicio inchoetur, quatuor inuenio opinio-  
nes, secundum quas modo tempestiuus modo serius  
eius initium statuunt iuris interpretes. In quibus  
recensendis, quamuis ex antiquo Romanorum iure vocatio  
in ius ipsam actionis antecederet editionem, ordinem tamen  
hodie ex iuris saltim Canonici praeceptis receptum seruabo.  
Ex aliorum igitur sententia lis incipit oblato libello, ex alio-  
rum per decretum de reo citando, rursus ex aliorum citatio-  
ne tradita, ex aliorum denique lite duntaxat contestata, qua-  
rum quelibet suis nititur argumentis. Ut tamen commo-  
dius perspici queat, quodnam sit litis initium, explicandum  
videtur ipsum verbum litis. Cum vero huius vocis varia sit  
significatio, iam non de ea agimus, qua vulgo Romani hoc  
verbo vtebantur, et passim id apud scriptores, poetas inpri-  
mis, inuenitur, qua scilicet quamcunque rixam et concerta-  
tionem, etiam extra iudicium, denotat, quod iurgium alias  
nominatum <sup>a)</sup>), quamuis, iurgium antiquissimis temporibus

A 3

*Litis int-  
rium pro va-  
riis opinio-  
nibus vari-  
um ponitur*

con-

<sup>a)</sup> Iurgium concertationes inter ami-  
cos, proinde rem leuorem signifi-  
care, probari solet ex fragmento Ci-  
ceronis, L. IV. de republ. quod a

Nonio Marcello libro *de proprietate fermonum* cap. 5. infertum eit, v.  
g. apud Funcicium in *Comment. ad LL. XII. Tabb. ad leg. 4. Tab. VIII.*

controversiam iudicialem significasse, vero sit simile ideo, quod ea vox a verbis ius et ago ducta sit, quam notionem Festus<sup>b)</sup> et Varro<sup>c)</sup> probant, praeципue tamen, quod Iterus<sup>d)</sup> annotauit, contentionem inter vicinos, siquidem Decemuiri isto vocabulo secundum Ciceronem<sup>e)</sup> usi sunt in describendo iudicio, cum de finibus inter affines i. e. vicinos lis fuerit, quam significationem in his: finale iurgium, adhuc retinuerunt Impp. Valentinianus, Theodosius, Arcadius et Honorius<sup>f)</sup>. De lite igitur, quae in foro agitur, sermo est. Occurrunt in iure Canonico cap. 10. X. de V. S. quaerad eorum rerum, quae in iudicio obueniunt, descriptiones: sed item ieiune satis Isidorus, ex cuius libro etymologiarum caput illud descriptum est, ita explicauit: *lis a contentione litis prius nomen fuit, de qua Virgilius, cuius quendam excitauit verbum.* At vero est latissima verbi significatio, etiam cum de negotiis forensibus usurpetur. Modo enim ipsa intelligitur actio, quia is, qui petit, vitur, quam interpretationem ICto, Vlpiano, debemus; <sup>g)</sup> modo res illa, quae in controversia est, teste Varrone<sup>h)</sup>, in quam sententiam accipere debemus haec: litis aestimatio, item facere suam; nonnunquam, puto, hoc vocabulam pro iudicis sententia ponitur in ea locutione: item dare, apud Gellium<sup>i)</sup> et

<sup>b)</sup> qui littera I. scribit: *iurgatio iuris actio.*

<sup>c)</sup> de lingua latina L. VI. cap. 5. *iurare ab iure dictum, cum quis iure litigaret.*

<sup>d)</sup> in addit. ad Briffonii opus de Verb. Signif. voce: *iurgium.*

<sup>e)</sup> loco in libro de republ. iam laudato.

<sup>f)</sup> L. 4. et 5. C. Theodos. finium regund. quarum prior, non tamen

integra, repetita est L. 5. C. *Infltn. cod.*

<sup>g)</sup> L. 36. D. de V. S.

<sup>h)</sup> de L. L. l. c. quibus res erat in controversia, ea vocabatur lis; ideo in actionibus videmus dici, quam rem sine litem dicere oportet. Alias diversa est utriusque vocis notio. Sed singularibus prorsus significacionibus disiunguntur in L. 9. C. de suis et legit. lib.

<sup>i)</sup> Noct. Att. L. V. cap. 10.

et Ciceronem<sup>1)</sup>; tum comprehendit seriem illorum actuum, quibus opus est, ad deductam in iudicium controuersiam iudicis auxilio dirimendam, siue, vt ius inter duos vel plures controuersum ope iudicis certum fiat, illorum igitur, quibus inter se contendunt aduersarii in iudicio de re controuersa, quibus testes notitiam facti in dubium vocati aperiunt, quibus denique iudex controuersiam tollit, v.g. in his: litem inferre, agere, habere, instruere, instituere, inducere in iudicium, lis copta, inchoata, lis pendet, res in litem deducta, quibus passim vñ sunt ICti aliisque veteres scriptores, et ipsi Legislatores. Verum istam significatio[n]is varietatem latius iam Brissonius<sup>2)</sup>, Gothofredus<sup>3)</sup>, Kablius siue Caluinus<sup>4)</sup>, aliqui perfecuti sunt. Nos postremam in hac tractatione intelligimus, qua lis idem est, atque id, quod Romani caussam, nonnunquam controuersiam, nominarunt, hodie plerumque ex Doctorum iuris Canonici vñ processus appellatur.

## §. II.

Primum itaque, in quo poni potest litis primordium, libelli est oblatio. Et hoc quidem, si sub lite, quod hodie processum dicimus, intelligamus, atque processum ex hodiernis iudicemus institutis, omnino recte se habere videtur. Quis enim nescit tritam illam doctrinam, sex substantia[lia] esse processus<sup>5)</sup>, quorum quidem primum est libellus. Iure tamen antiquissimo Romano ordinaria lis a libello non inchoabatur. Scilicet libellus ne quidem magistratui offerebatur, exceptis iis causis<sup>6)</sup>, in quibus de plano iudicabat praetor, et in

*vel in obla-*  
*tione libelli,*

k) *Orat. pro Rose. Com. cap. 1.*

l) *in op. de Verb. Sign. sub hac voce.*

m) *ad L. 36. D. de. V. S.*

n) *in Lex. Iur.*

o) *Schwendend. ad Fibig. proc. Cap.*

*II. membr. 3. not. g. et alii compla-*  
*res.*

p) *Cuiacius in parat. ad rit. g. L. II.*  
*Cod. libellorum ex antiquo et recentiori jure Romano enumerat specie-*  
*s, non tamen omnes.*

in publicis iudiciis. Nihilo tamen secius in publicis iudicijis libellum antecedebat non solum in ius vocatio, quod ex Senecae libris et quodam Macri loco<sup>a)</sup> optime demonstrauit Sigenius<sup>b)</sup>, sed actionis etiam, quae voce peragebatur, intentio<sup>c)</sup>. In istis autem rebus, quae de plano cognoscabantur, tractationem causae ab ipsa libelli oblatione cepisse initium, satis quidem appareret ex L. 15. D. de in ius voc. et planaria interpellatio, prouti hanc rem Constantinus nominauit<sup>d)</sup>, absente quoque reo, fieri poterat<sup>e)</sup>: cum vero partim ratio cognitionum de plano, quin imo, quae causae ad eam antiquis temporibus pertinuerint, nam Vlpianum<sup>f)</sup> non omnes planarias enumerasse manifestum est<sup>g)</sup>, quadam prematur obscuritate<sup>h)</sup>, partim, si pleniori rei cognitione opus erat, de plano cognoscere non licuerit<sup>i)</sup>, adeoque ea cognitio ad formam ordinarii judicij, non fuerit composita, de illa plura non addam, cum de iis tantum agendum sit cognitionibus, quas secundum ordinem, receptum suscipiebat praetor, in quibus eum libello non adibant. Mutata autem sub imperatoribus iudiciorum forma, sublato, quod antea inter ius furcat et iudicium, discrimine, et ademta magistratibus sub finem seculi VI. iudices dandi pedaneos praeter causam necessitatis facultate<sup>j)</sup>, nomine pedaneorum saltini relicto his, qui, non repentina, sed perpetui caussarum leuiorum iudices erant constituti<sup>k)</sup>, formulis item medio

q) L. 8. D. de accusat.

r) de iudiciis. L. II. c. 8.

s) idem Sigen. L. II. cap. 10.

t) L. 4. C. de dilation.

u) quod ex hac lege 4. appetat.

x) L. 9. §. 3. D. de offic. procons.

y) vid. Siccama de centumvir. iudic. cap. 3.

z) vid. Gothofr. ad L. 6. D. de accusat.

a) Decreti enim necessitate libellus fiebat inutilis L. 9. §. 1. D. de offic. procons. L. 6. C. de praed. et al. reb. min.

b) L. 2. C. de pedan. iudic.

c) L. ult. C. de pedan. ind. L. 15. C. de iudiciis Nou. LX. cap. 2. Nou. LXXXII. cap. 1. et 5. In hanc regulam significacionem pedanei intelligendus etiam nonnunquam est Cuiac. v. c. in expositione Nov. LIII.

¶ ♫ \*

medio seculo IV.<sup>a)</sup> et seculo V. impetrationibus actionum<sup>b)</sup> sublatis, obsoletaque priuata in ius vocatione<sup>c)</sup>, sensim consuetudinem libellos in omnibus causis offerendi fuisse receperat, principibus primo ad libellos rescribentibus<sup>d)</sup>, deinde hoc more ad praesides<sup>e)</sup>, et ad omnes denique iudices derivato, vix dubitari potest, quae consuetudo forsitan, oratoribus exauctioratis, venit simul in locum breuis istius litis expositionis, quae coniectio causae appellabatur<sup>f)</sup>, cuius elegans Gellius<sup>g)</sup> suppeditauit exemplum. Etenim Arcadii iam et Honorii temporibus, libelli oblationem litis contestationis vim habere, rescriptum est<sup>h)</sup>, et, si in L. 5. C. de naufragiis non plenaria, sed planaria interpellatione legendum est, ut vixum fuit Cujacio<sup>i)</sup>, in libelli oblatione maior iam tunc, inuersa prorsus specie, vis posita esse debuit, quam in illa interpellatione, hoc fere modo distinguenda, ut ad ordinariam cognitionem, sive quasi, ut nunc dicimus, ad processus ordinarii formam libellus pertinuerit. Iustiniani autem aetate actionem in libello, nimirum conventionis<sup>j)</sup>, propositam fuisse, et citationem subsecutam, Nouella CXII. cap. II. luculentiter docet. Hac igitur adscita consuetudine, perstisset in ea Romanos, apparuit ex ea constitutione, quam, restitutam a Cuiacio ex Basiliis, Gothosredus ad corpus iuris in titulo

Codicis

a) L. 1. C. de form. et impetrat. act. sublat.

e) L. 2. C. cod.

f) vid. Heinecc. in Antiquit. L. IV. tit. VI. §. 17.

g) Sueton. in Aug. cap. 45. vid. Brifson. de formul. L. III. n. XXI.

h) L. 15. D. de in jus voc.

i) Sigan. de iudiciis L. I. cap. 28.

k) noct. Att. L. V. cap. 10.

b) L. 1. C. quando libell. princ. dat. lit. contestar. faciat.

m) in comment. ad hanc leg. 5.

n) §. 24. I. de action. Lites tamen de rebus vilioris aetimationis, quas hodie causias minutias appellamus, iterum exceptit, easque fine scripto iussit decidi Iustinianus Nou. XVII. cap. 3. qua cum conferri debet Neu. LXXXII.

B



Codicis de ius vocando ultimo loco adiecit. Postea Iure Canonico libelli oblatio in necessariis ad constituendam iudicij formiam posita est ex quodam Ignari cuiusdam Episcopi colloquio, quod, relatum in collectionem Gregorianam<sup>1)</sup>, postea in hunc modum, ut vulgo dicitur, summatum est: *index non debet admittere auctorem ad litigandum, nisi prius libellum in scriptis offerat.* Haec autem summa propter iuris Canonici in his rebus auctoritatem Practicos in constantem atque perpetuam induxit opinionem, vt, saltim in causa ordinaria, oblationem libelli solennem postularent<sup>2)</sup>. His itaque, a libello initium trahere item, effectum iri crederemus. Nam ipsa quoque *L. 15. C. de iudiciis* in his verbis: *circa ingressus litis;* hoc pertinere videtur. Cum enim ea in lege agat Imperator de reo contumace, ingressum litis de actu, qui contestationem litis antecessit, explicandum esse, facile est ad intelligendum. Quamobrem magnifice fere Fibigius<sup>3)</sup> acturus de supplicatione, sub qua intelligit libellum iudici offrendum<sup>4)</sup>, in hac verba praefatus est: *processus quasi tractacione preparatio et exordium est huiusmodi supplicatio.* Quam sententiam, libellum litis esse exordium, alii etiam sunt amplexi.

### §. III.

*vel in de-  
creto de reo  
citantio,* Libellus postquam iudici oblatus est, tum, secundum hodiernam iudiciorum constitutionem, reum in ius vocandum esse, decernit. Antiquo iure Romano, siquidem in ius vocatio

1) *Cap. i. X. de libelli oblat.*

2) Inter alios multos sufficiat nominare Schneidewin. ad §. i. I. de actione. Stryck in *introduct. ad prax.* Cap. VII. §. i. et Carpzq. in *Proc. Tit. VI. arr. i. n. 13. 15.*

3) In *Proc. cap. II. §. II.*

4) Ita enim hoc loco eam describit, quod sit summaria recensio controuersiae, (posset substitui: conjectio causae) iuncta petitio ne pro decernendis processibus. Conf. Ludouici Einleit. zum *Eio. Proc. im IX. Capit. §. 2.*

¶ ¶ ¶

7

tio omnium erat primum, tale fieri non potuit decretum. Mutato vero iudiciorum apud Romanos ordine, cum inualuisset vocatio per executores, eiusmodi procul dubio opus fuit decreto, quod sub interlocutionibus puto in Nou. CXII. cap. 2. intelligi. Ex hoc igitur decreto litem capere initium, placuit Menochio<sup>1)</sup>, cum quibusdam, quos citat, et aliis, qui cum se-  
cuti sunt: in quo tamen moneo, Menochium ipsum velle haec  
tantum de actore accipi. Neque desunt obtainendae huius op-  
nionis rationes. Erenim cum ex Clementis V. constitutione  
lis pendere dicatur, postquam citatio ad partem citatam per-  
uenit<sup>2)</sup>, factum aliquod sub nomine litis videtur comprehen-  
di, quod ante citationis traditionem gestum est.

#### §. IV.

Sequitur igitur ipsa in ius vocatio, quae nunc in citationis  
reco facta traditione, sive, quam vocamus, insinuatione, con-  
sistit. Iure quondam Romano vocationem in ius fuisse pri-  
mum illum actum, ab actore, qui contendere actione cum  
aduersario volebat, suscepimus, cum supra commemoratum,  
tum quoque notissimum est. Nam a violenta in ius vocati-  
one, Romanis, ut in omnes sere partes militari populo, non  
ingrata, non Decemviri solum XII. Tabulas exorsi sunt<sup>3)</sup>,  
sed id etiam, ordine quamvis a praetoribus aliquantum muta-  
to<sup>4)</sup>, suo tamen modo imitati sunt pandectarum auctores<sup>5)</sup>.  
Qui legum judicialium scribendarum ordo nouissimis etiam

*vel in cira-  
tionis insinu-  
azione,*

#### B 2

necessarium, XII. scilicet quas pue-  
ri discebant, his verbis extulerit:  
si in ius vocat, atque eat.

x) Videantur, qui editi perpetui col-  
ligere conati sunt fragmenta, v. g.  
apud Hoffmann, in Hist. Iur. Vol II.

y) Patet hoc ex tit. 4. et 13. Libri II.  
et tit. I. Libri III.

1) De arbitr. iud. quaest. L. II. cas.

202. n. 4. et 8.

3) Clem. 2. v. lite pend.

4) Secundum ordinem, quem verum  
existimauerunt plerique, qui frag-  
menta collegerunt, cuius justa in-  
eo, obsernante Iac. Gothofredo, po-  
sita est ratio, quod Cicero carmen



temporibus, aut prae nimio iuris Romani studio atque amore, aut, quia Germaniae gentibus antiquitus similes fuerunt mores <sup>a)</sup>, adeo placuit, ut in multis, in quibus ordo in iudicio obscurandus praescribitur, legibus tractatio de citatione eam de libello antecedat <sup>b)</sup>. Itaque pro isto Romanorum instituto litis principium ponere in vocatione in ius, videtur esse expeditissimum. At vero lis proprie erat in iudicio, his, quae in iure peragebantur apud practorem, generaliori controversiae vocabulo comprehensis. In hunc enim modum Vlpianus <sup>c)</sup> disiungit item contestatam et controversiam motam, ex quibus non difficulter perspicitur, item cum appellari noluisse ante contestationem. Quo loco tamen nequit reticeri, controversiam etiam id omne, quod peragebatur inter litigatores, sive nominatum. Non enim Cicero <sup>d)</sup> solum his verbis: *satis causae et controversiae, satis etiam iudici fecisse videar, cur secundum Rosciū iudicari debet, non obscure ea, quae gereguntur in iudicio, intelligit*, sed idem etiam ille Vlpianus <sup>e)</sup> alio loco verbis litis et controversiae plae ut iisdem vtitur. Etenim cum de tertio venditore ante scripserit: *qui nullam controversiam patiebatur;* statim

<sup>a)</sup> Plerumque, ubi iudicium constituebatur, das Ding gehet, omnes iurisdictioni subiecti aderant, (vt hodieque nonnullorum locorum fert consuetudo,) et apparitor generaliter sua voce cunctos, qui agere et contendere vellent, vocabat. Quaedam autem antiquae Germanorum leges verbis expressis priuatam in ius vocationem, similem illi Romanae, perimerunt. Sed de his quidem pluribus Heinect, in elem. iur. German. L. III. §. no. fqq. et Schottel. in Singul. iur. Germ. passim.

<sup>b)</sup> Sufficit exempli causa has nomi-

nari: Ord. Proc. Sax. Elect. tit. 4. 5. Altenburg. cap. I. et 2. Part. I. Ord. Proc. et Prouinc. Comit. Solms Part. I. tit. 9. et II. Reform. Francof. P. I. tit. 10. et 17. Norimberg. tit. II. et VI. quin imo Codicem Danicum Christiani V. Libr. I. cap. 4. Aliiae tamen ad eum ordinem, qui nunc vere est in iudicis, scriptae sunt, e. g. Project. Cod. Fridericiani P. III. tit. 6. et 8. Ord. Proc. Anhalt. tit. 3 et 4.

<sup>c)</sup> b) L. 25. §. 7. D. de hered. perit.

c) orat. pro Rosc. Com. cap. 3.

d) L. i. D. de litigiosis.

¶

statim de eodem subiicit: *quia nullam litem habuit.* Julianus autem id ipsum, in quo praetor officium exercebat, litem nominat<sup>e</sup>). Quibus commotus Alciatus<sup>f</sup>) scribit: *proprie et iam ante iudicium acceptum, litem esse ICTUS ostendit; nam et cum litem contestatam esse dicimus, verba indicant, quando adhuc contestata non erat, nihilominus litem fuisse.* Haec tametsi speciem prae se ferant auctoritatis, tamen non omnino recte se habere videntur, cum litigantes per contestationem sententiam suam et seriam voluntatem litem suscipiendo declarauerint, ut quasi ex eo demum momento lis sibi esset de re controuersa. Itaque idem Alciatus alio loco<sup>g</sup>), melius litem scriptis per anticipationem siue prolepsin, antequam contestetur, nominari, et si propriis post iudicium acceptum hoc nomen habeat. Quae cum ita sint, hoc saltim respectu, omnia illa, res, causa, controuersia, lis, eadem accipi possunt significatione, quae alias omnino differunt<sup>h</sup>). Verum postquam causas in foro agendi forma cum iure Romano, tum maxime, ut videtur, iure Canonico, mutata sunt, ut citatio, quae apud Romanos quidem tunc ad executorum munus refrebatur, libellum siue actionis intentionem sequeretur, ius autem et iudicium amplius non discernerentur, fieri eo facilius potuit, ut peracta citatione, lis iam esse diceretur. Et hoc quidem ipsae quaedam leges sibi velle videntur. Sic Diocletianus iam et Maximianus causas et lites iunxerunt<sup>i</sup>); Julianus praescriptionem dilatoriam inter exordia litis, hoc est, ut infra videbimus, ante litis Contestationem, praetermissam vetuit postea exerceri<sup>j</sup>); Gratianus Valentinianus et Theodosius omnem causacambitum litem appellarunt<sup>k</sup>): nec alia ratione Justinianus<sup>l</sup>) litigiosam fieri

B 3

ren

e) L. 21. D. de reb. cred.

i) L. 16. C. de transaction.

f) in Comm. ad tit. D. de V. S. ad leg. 36.

ii) L. 12. C. de except.

g) in praef. ad eum commentar.

k) L. 3. C. de sporulari.

h) Noodt de pactis cap. 3.

l) Nou. CXII. cap. 1.

rem scripsit, postquam siue conuentio iudicaria, siue preces principi oblatae, et iudici insinuatae, per eum reo cognitas factae fuerint, vnde simul <sup>m</sup>), libellum reo citato missum fuisse, discimus, quod docet etiam Graeca constitutio, quam Cuiacius addi titulo codicis de in ius vocando voluit <sup>n</sup>). Hinc multi Icti litem, tradita citatione, incipi exsiliauerunt, veluti Mynsinger <sup>o</sup>), eumque actum propterea fundamentum, basis et principium iudicij nominat Gailius <sup>p</sup>), non satis apte, ut credo, ad §. fin. I. de poena temere litigant. prouocans. Sed videamus etiam de litis contestatione.

## §. V.

*vel in litis  
contestatio-  
ne:*

Postremum scilicet, a quo litem incipere, dicendum, eius est contestatio. Haec autem sententia vim suam ex innumerabilibus fere legibus assequitur. Ita iam a Paulo <sup>q</sup>) scriptum est, posse, si actio sit temporalis, legatum ad praetorem in ius vocari, ut lis contestata transferatur in provinciam <sup>r</sup>); et Vlpianus <sup>s</sup>), quod prius dixit post litem contestatam, deinde his verbis: iudicium accepit, explicat; Papiniannus <sup>t</sup>) quoque negat, iudicis officium impediri, quod quidam ex tutoribus post litem contestatam reipublicae causa abesse coeperint. Iure autem Codicis haec res magis adhuc plana facta est. Etenim cum Zeno Imp. <sup>u</sup>) permisit recusare iudicem ante litis contestationem, haec constitutio explicatur qua si alia Iustiniani <sup>v</sup>): *apertissimi iuris est, licere litigatori-*

<sup>m</sup>) Clarius in eam rem conditum est cap. 2. eiusd. *Nous Vid. Perez in Comment. ad rit. C. de in ius voc.* n. 6.

<sup>n</sup>) L. 4. C. ex edit. Gothofred. de in ius voc. Cuiac. in obser. L. X. obf. 10. et L. XIII. obf. u.

<sup>o</sup>) in observat. camer. L. IV. obf. 26.

<sup>p</sup>) in observat. L. I. obf. 74.

<sup>q</sup>) L. 28. §. 4. D. de iudicis.

<sup>r</sup>) Ita Bynckershoeck. pro provincia, quae vulgaris est lectio, in obser. L. VIII. cap. 19.

<sup>s</sup>) L. 57. D. de iudicis.

<sup>t</sup>) L. 44. D. eod.

<sup>u</sup>) L. 12. C. de iudic.

<sup>v</sup>) L. 16. C. eod.

¶

bus indices delegatos, antequam lis inchoetur, recusare.  
Hanc ob causam plerique et antiquorum et recentiorum Do-  
ctorum in ea posuerunt litis initia, et Alciatus idcirco scri-  
psit<sup>3)</sup>: *litem post contestationem solum dici, causam vero et-*  
*iam ante, DD. fere crediderunt ad L. causas C. de trans-*  
*act. et Gailius<sup>4)</sup>, glossa et multis iuris interpretibus allegatis:*  
*proprie et secundum communem opinionem iudicium demum*  
*a litis contestatione incipit.* Haec Carpzouii<sup>5)</sup> etiam, Hil-  
tropii<sup>6)</sup>, et aliorum sententia est. Videtur id lis appellari or-  
dinata in L. 14. C. de liber. causa, siquidem Paulus<sup>7)</sup> eum,  
qui in ius vocauit, si iudicium nondum coeptum fuerit, non  
petere, ait, sed petere velle, unde Alciatus<sup>8)</sup>, verbum peti,  
sicut illa, agi, vendicari, plerunque ad officium iudicis re-  
ferri, demonstrauit. Sed hic quoque separandum erit ius an-  
tiquum a recentiori. Prisco enim iure Romano scimus litis  
contestationem supremum in iure suisse actum, qui vocatio-  
nem in ius, impetratam a praetore veniam loquendi, actionis  
editionem<sup>9)</sup>, eius et aduocati postulationem, vadibus petitis,  
vadimonioque promisso, quae priori die fiebant, et, quae  
comperendino, rogationem rei, responsonem actoris, quae  
intentionem actionis in se continebat, defensionem rei sue  
puram sive coniunctam proditam, auctoritatis nonnunquam  
professionem et satisfactionem, nihil in re possessa deterius fa-  
ctum iri, sacramentum quaelitum sponsonemue factam, po-  
stulatis datisque iudice, arbitro aut recuperatoribus, nisi esset  
centumviralis causa, praescripto numero testium, et satisdato,

iudica-

g) in comm. ad L. 36. D. de V. S.

z) in obseruat. L. I. obs. 74.

a) in Proc. iur. Tiz. IX. art. 3. n. 46.

b) in Proc. iudiciar. P. III. iii. 8. n. 4.

c) L. 15. D. rem ratam haberi.

d) in paradox. L. II. cap. 10

e) soleam scilicet, non eam, quae  
admonitionis causa fiebat, vt illa  
Aeschini apud Terent. in Adelph.  
Act. II. Sc. I. v. 40. vid. Raeuard.  
in protribunal. cap. 4. et Noodt, in  
comment. ad tiz. D. de edendo.



judicatum solui et rem ratam haberi vel compromisso etiam deposito, ultimo sequebatur loco<sup>f</sup>). Quid tamen proprie fuerit litis contestatio, non adeo clarum atque expeditum esse, ingenue confitetur Heineccius<sup>g</sup>). Ita factum est; ut alii aliam amplexi sint sententiam. Alcicius<sup>h</sup>) scribit: *contestatio est propriæ plurium, ut in iudiciis, cum actor, quid mentis suae sit, petendo explicat, contra reus negando diffitetur, unde et litis contestatio dicta, et alibi eam ad istum actum, quo postulabatur et dabatur actio, refert*<sup>i</sup>). Polletus<sup>k</sup>) constitutionem iudicis intelligit sub litis contestatione, eamque propterea contestatam fuisse dictam opinatur, quod post iudicium acceptum lis sit perpetua. Sed nolo plures de L. C. describere sententias. Plerique prouocant ad locum Festi<sup>j</sup>), quo contestari item dicuntur duo aduersarii, quod ordinato iudicio vtraque pars<sup>m</sup>) dicere solita fuerit: testes esto. Eleganter pro more causam huius antestationis explicat Heineccius<sup>n</sup>). Etenim, cum omnia voce peragerentur, neque, sicut in iudiciis publicis, apud acta deponerentur libelli<sup>o</sup>), multum vero interesset, qua actione quaque defensione usi essent rei, quid, quantumque, quo loco et tempore, iudicemne an arbitrum<sup>p</sup>) postulasset actor, reliqua, earum rerum probandarum causa testes aduocare, necessarium fuisse videtur, qui certe erant in proximtu, frequentia hominum ad tribunal, vel percontacionis, quid in foro geratur<sup>q</sup>), vel

otii

f) quae omnia fuse Siganus de iudiciis L. I. Briffoniis, Polletus, contractius Raeuardus, Bretus et Heineccius descriperunt.

g) in Antiquit. iur. L. IV. tit. VI. §. 42.

h) ad L. 40. D. de V. S.

i) ad L. 178. cod.

k) hist. fori Rom. L. IV. cap. 8.

l) sub voce: *contestari*.

m) Polletus, siue potius ipsius conti-

nutor, Broidaeus, in hist. for. Rom. Lib. V. cap. 5. scribit, praetorem decedentem ad eos, qui tribunal assistebant, ista solennia verba, testes esto, pronunciaste. Fefellit autem procul dubio memoria.

n) in Antiqu. iur. l. c.

o) Brifion. de formul. L. V. n. 187.

p) Cic. orat. pro Rosc. Com. cap. 3.

q) vid. Macrobius Saturn. L. II. cap. 12.

otii causa adstante, sicuti etiamnum hodie naturaliter fere eu-  
nire solet, ut, si quidam vel rixentur vel paciscantur, saepissi-  
me adstantibus id solenne: testis es, acclament. Quicquid  
autem fuerit litis contestatio, hoc certe ex laudato Fefli et ex  
alio Gellii<sup>1)</sup> loco conficitur, non rei tantum, ut hodie, sed  
actoris etiam fuisse, item contestari, ex posteriore praeterea,  
item in iure fuisse contestatos, ex Senecae tandem episto-  
la<sup>2)</sup>, per litis contestationem id, in quo tota causa posita esset,  
et, quid probandum fuisse, thema hodie nominamus, certo  
constitisse. Et hoc quidem antiquo loquendi modo non Ca-  
ius<sup>3)</sup> solum: *cum adtore lis contestata est*, sed etiam Vlpia-  
nus<sup>4)</sup> scripsit, creditorem cum debitore item contestatum esse.  
Nunc, ordine iudicij postea mutato, videamus, quid ista verba,  
litis contestatio, insequentibus temporibus sibi voluerint.  
Quamquam hanc Gellio adhuc probe cognitam orationem iam  
sub finem seculi II. exoleuisse, vix sit credibile: tamen Impp.  
Seuerus et Antoninus, mutatis forsan moribus et solennibus, du-  
bitanter Valenti rescripserunt<sup>5)</sup>, item videri tunc contestataim,  
cum iudex per narrationem negotii causam audire cooperit;  
quibus aliquid incerti in horum verborum significatione nota-  
runt, quod neque lucem accipit ex legibus Iustiniani, quippe  
diu post scriptis, ex quibus tamen Gothofredus explicationem  
periit, neque ex coniunctione cum reliquis rescripti fragmen-  
tis<sup>6)</sup> magis sit perspicuum. Hoc tamen apparet, verba ista,  
item contestataim, fere ad tempus, non ad factum aliquod re-  
ferri, quemadmodum Paulus<sup>7)</sup> etiam scribit, litis contestatae  
tempore, quod proprio dicendum fuisse, ante item contesta-  
tam, qua locutione Marcianus<sup>8)</sup> de eadem re, de qua Paulus,  
verba.

## C

r) Noct. Att. L. V. cap. 10.

x) L. un. C. de lit. contest.

s) epist. 13.

y) in L. 3. C. de edendo.

z) L. 6. D. de compensat.

z) L. 37. D. de negotiis gestis.

u) L. 11. D. de pignor. act.

a) L. 47. §. 1. D. de solution.



verba faciens vsus est. Eadem non ad actus quosdam sed ad tempus relata significatio est in verbis Iustiniani <sup>b)</sup>: *cum lis fuerit contestata, post narrationem propositam, et contradictionem obiectam, quae si conferamus cum aliis locis <sup>c)</sup>, patet, in ista narratione et, quam alias responcionem <sup>d)</sup> nominat, contradictione primordia litis posuisse Imperatorem <sup>e)</sup>.* Ex quo simul planum fit, quamobrem non reus solum <sup>f)</sup>, sed actor adhuc etiam <sup>g)</sup> ab ipso iussus sit litem contestari. Hoc litis contestationis tempus antea decimus, ab anno vero 537. vicesimus erat dies ab illo, quo reo libellus per executorem oblatus erat <sup>h)</sup>, responcionis dictus, quem reus subscribere debebat <sup>i)</sup>. Obscurum est, quid hoc die gestum fuerit, cum potuisset etiam nihil sufficiens ad dirimendam caussam actitatum fuisse <sup>k)</sup>, et nihilominus ab eo demum tempore lis contestata dicebatur <sup>l)</sup>, initium vero litem nondum accepisse, etiamsi reo libellus fuerit cognitus <sup>m)</sup>. Cum tamen idem Imperator actorem, prosequi intentionem, iudicem autem, contumace actore rei examinare allegationes <sup>n)</sup>, et negotii acta apud se confecta conspicere <sup>o)</sup> iussisset, erunt haec pro aliquo argumento, scriptis utrumque propositis, quae fortasse repetitam allegationem iuris ab auctore sibi vindicati, et inficiacionem atque exceptionem rei complectebantur, litem pro contestata fuisse habitam. Quae vero hic paulo obscurius tradita videntur, pleniū definiuntur in iure Canonico ex Gregorii IX. decreto <sup>p)</sup>,

vi

b) L. 14. §. I. C. de iudic.

i) Nou. LIII. cap. 3. §. 2.

c) L. 14. pr. C. eod. L. 2. pr. C. de iureiur. propri. calunn. dando.

k) L. 13. §. 2. C. de iudic.

d) ind. L. 2. de iureiur. prop. cal.

l) L. 13. §. 1. eod. Nou. LIII. cap. 3.

e) conf. Nou. LIII. cap. 3.

m) Nou. CXII. cap. 3.

f) in hac Nou. LIII.

n) Nou. CXII. cap. 3. §. 2.

g) Nou. XCVI. cap. 1.

o) L. 13. §. 2. C. de iudic.

h) Nou. LIII. cap. 3. §. 1. Nou. XCVI. cap. 2.

p) cap. un. X. de Lit. cont. quod totidem verbis repetitum in cap. § 4.

X. vers. licet autem de Eleff.

vi cuius non per positiones et responsiones ad eas, sed per petitionem in iure propositam et responsonem secutam litis fit contestatio. Scilicet sub istis positionibus et responsionibus intelliguntur illae, quae, iure communi introductae, originem videntur interrogationibus in iure faciendis ex edicto praetoris Romani olim permisissis,<sup>2)</sup> formam bullae Gregorii IX<sup>3)</sup> debere, vel potius, cum huiusmodi positiones et responsiones, quae sunt loco probationis<sup>4)</sup>, litis contestationem sequi debeant non ex recentiorum solum, v. c. Gailii<sup>5)</sup>, sed Bartoli etiam et aliorum antiquorum doctrina, tumultuaria quedam omnium, quae obici a reo, et reponi ab actore poterant, tractatio, vt, negetne an affirmet reus, in dubio relinquatur, siue summaria quaedam causae coniectio, siue etiam altercatio praeparatoria de quibusdam, quibus lis differatur, v. c. de forma libelli, de persona actoris, procuratoris, rell. plane ut fieri solet hodie in primo termino, si citatio ad respondendum nou sit peremptoria. Et istam quidem de tumultuaria causae tractatione sententiam mandata successorum Gregorii, Innocentii IV. et Bonifacii VIII.<sup>6)</sup> confirmare videntur, quibus, litis contestationem, cum intelligi, exceptione tantum peremptoria proposita, tum etiam eiusmodi exceptione impediti, negant. Ex his, in primis Bonifacii lege, simul animaduerte-re possumus, quemadmodum paulatim litis contestatio, quae olim vtriusque partis erat, et quam ipse adhuc Gregorius ad vtrumque retulit litigantem<sup>7)</sup>, pro responsione rei accepta sit, et quamobrem, cum, secundum Bartoli iamiam sententiam, et alios quoque interpres, haec responsio quibusunque verbis

C 2

fieri

2) de quibus in Dig. Libr XI. tit. I. agitur.

3) in cap. 2. de testib. in 6.

4) Stryck introd. ad prax. cap. 17. §. 9. Hiltrop. Proc. P. III. tit. 5.

5) in obseru. L. I. obs. 79. n. 3.

6) cap. 1. et 2. de litis contest. in 6.

7) ex quo nata est illa litis contestationis species, quam, actoris esse, scribebant, et admirativam nominabant quidam iuris interpres. vid. Gail. in obser. Lib. I. obs. 73.

fieri posset, necessarium duxerint auctores iuris recentiores; vt haec clausula addatur: se respondere animo litem contestandi <sup>2)</sup>). Accedit, quod in consuetudinem venerit vocabulum contestare, idem, ac resistere, significans, quo vsl sunt eriam conditores legum antiquarum Germanicarum <sup>3)</sup>), in aliis autem, iisque medii aevi, legibus actus judicialis intentioni actionis proximus responsio, Antwort, nominatus fuerit, quibus factum est, vt, confusis vocabulis, litis contestatio nunc significet rei responsionem. Quapropter Marantā <sup>4)</sup> iam, Colero referente: communis, scriptis, prædicta contestandi litem est, ut dicatur per reum, posita, prout ponuntur, et narrata, prout narrantur, non esse vera. Ex his igitur, prolixius forsitan, quam opus erat, disputationis, intelligitur, pro initio litis eius contestationem proprie tantum secundum prisci iuris Romani instituta, ex legibus autem recentioribus eatenus dici, qua respicimus ad tempus responsionis.

## §. VI.

Nunc ordinem video dicendi eo redire, quaenam ex his sententiis sit probanda, quaenam reiicienda. Faciam hic cum Alciato, qui verbis supra excitatis, quibus secundum communem opinionem litem post contestationem solum dici, enarravit, haec addidit: *quod ipse non negauerim, quoties subiecti argumenti ratio hoc fert.* <sup>5)</sup> Scilicet modo hoc, modo illud erit litis initium, pro iis, quae circumstant, rebus, vt, unicum tantum esse, quomodounque verbum intelligamus, affirmari nequeat. Hoc certe dubio caret, vt, si ipsam aduersariorum contentionem iudicalem significemus, contestationem litis eius esse principium dicamus. Etenim contentio nondum esse potest, si nondum cognitum sit, vtrum, contra quem actio

y) Host. et plerique ad excit. cap. un. X. de Lib. C. vid. etiam Ludouici Cintl. §. Civ. Proc. Cap XIII. §. 9. a) in Spec. s. de ord. iudic. P. VI. tit. de L. C. n. 5.

z) du Fresne Glossar, voce contestare. b) Alciat. ad L. 36. de V. S.

actio instituta, litigare an cedere malit, quod, nisi forte excipias causas, in quibus litis intericitur denunciatio, certum demum sit, lite a reo contestata. Verum, si accipiamus hoc verbum pro istis ipsis actibus, qui ad iudicium constitendum sunt necessarii, nihil obstar, quo minus opinionem, litis exordium esse libelli oblationem, tueamur. Nam cum, nisi libello prius oblato, agi et disceptari nequeat, omnibus, quae fieri in iudicio debent, comprehensis, ista nequit excludi oblatio. Si autem de continuanda lite incidit quaestio, cum iis, quorum sententia stat pro iudicis decreto, quod sequitur oblationem libelli, sive pro traditione citationis, et in utrumque quidem pro causarum varietate consentire, nullus dubito. Quin imo, si quis in eadem causa duplex esse initium affirmet, non refragabor, dummodo, qua significatione accipiatur litis vox, recte fuerit distinctum. Iam supra commemorauit, Menochium arbitrii quidem, primum judicis decretum litis esse principium, ita tamen, ut hanc suam sententiam tantum ex parte actoris intelligi vellet. Et haec quidem recte se habent. Actor enim libelli oblatione, iudex decreto, consenserunt de iurisdictione in eam causam, cuius intenta est actio, quapropter, si ad hoc respiciamus, ex parte actoris, item iam pendere, manifestum est. Quamobrem, si durorum iudiciorum eadem in eandem rem, sive concurrens sit iurisdictio, illud decretum reo etiam id tribuet iuris, ut, quamvis fuerit, precibus non auditis, denegatorium, tamen fori praescriptio sive praeventionis exceptio (atque adeo litis simul finitae) locum habeat. Quod cum in iudiciis Imperii supremis obseruari, tradant iuris interpretes, <sup>c)</sup> stylus autem iudicij superioris inferioribus esse pro norma soleat, <sup>d)</sup> vix dubitandum, quin hoc, nisi lege aut

## C 3 con-

c) Illustr. Moiser. von der Deutschen Justiz-Verfassung 2 B. 6. Cap. §. 6. de Cramer Syst. Proc. Imper. §. 175. Tafinger instir. iurisprud. Camer. §. 426.

not. y. Schumann. in not. ad Schmausii Corp. iur. publ. pag. 914. not. c.  
d) vid. Schwendend. ad Fibig. proc. P. I. cap. II. §. 2. not. d. 11. 200



consuetudine contraria aliud alicubi constitutum, pro iure quodam communi habendum sit. Ad reum autem quod attinet, non difficulter perspicimus, illi nondum citato item, quae pendeat in iudicio, esse non posse. Quae cum ita sint, initium litis, et eiusdem quidem, aliud ex parte actoris, aliud ex parte rei non absurde defendetur. Nihil quoque impedire arbitror, quin alia rursus initia litis pro litis denunciatio caeterisque pro re nata personis litigantibus, quemadmodum appellari solent, minus principalibus statuantur, nisi forsitan rectius istas contentiones nouas et liti primariae quasi interiectas lites nominemus.

### §. VII.

*quae probantur exemplo litis pendientiae,*

At vero haec disquisitio inutilis est, quando in nostris quidem foris non item, sed processum dicamus habere, instituere, gerere, agere, cert. idcirco processus potius initia in disputationem veniant. Certe, nisi nonnulli in causis agendis actus a lite nomen ad hoc tempus ducant. Quamobrem, cum de litis denunciatione, reassumptione, pendientia, aliisque verbis in hunc modum compositis sermo fiat, inuestigandi, analis existat, dum de ea quaeritur, non deerit occasio. Duo bus id demonstrabo exemplis. In prouincia extra Saxoniam duo sunt iudicia, quibus concurrens competit iurisdictio. Libellum igitur quidam, actionem intendens, alteri obtulerat, et, cum iudex eius precibus locum relinquere nollet, alterum, spe fretus, hunc fore faciliorem, idem plane rogans adiit. Verum aduocatus fisci ob laesam illius iudicis, quem prius ad hanc rem perficiendam elegerat, auctoritatem in iudicium eum vocavit<sup>a)</sup>. Iam anxius, item in iudicio, eo quod prius elegerat, initium nondum cepisse, excipiebat; prouocabat

ad

<sup>a)</sup> Huc referenda, quam supra citauit, restituta a Cuiacio L. 4. C. de ius in usus, et quea passim ad c. 21. et 34.

X. de off. deleg. et c. 59. X. de appellat. commentariis interpretum expoununtur.



ad leges iuris ciuilis, quibus litis initium in eius ponitur contestatione; praesidium sibi quaerebat in Ordin. Iudic. Imper. Aul.<sup>f)</sup> operam dans, vt ex his, per solam saltim citationis traditionem litem fieri pendentem, adeoque ipsi litem, quae esse simul pendens et non pendens nequeat, nondum fuisse, probaret; appellabat Meuum, Gailium, Heinecium, Carpzouium, Mynsingerum, Bergerum, Huberum, Stryckium, Brunnemannum, Ludouici, Hahnium, Mylium, Cochium, Frantzkiuum, Zangerum. Sed hos omnes hac quidem vice visit, scilicet obsoletus alias ille, Menochius, et reus ex arbitrio Ordinis ICtorum Wittenb. mense Oct. 1770. multatus fuit, cuius decreti rationes supra exppositae sunt.

### §. VIII.

Alterum exemplum hoc esto. Quidam H. C. actionem instituit contra A. W. Libellum offert. Index citationem decernit. Ea vero, mortuo iam A. W. traditur eius viduae. Haec, qui mos est in ea regione, subscribit tabulae, quam receperisse nominant, suum nomen, hoc, maritum vita defunctum esse, simul addito. Nihilo secius H. C. aduersarium suum in termino praefinito ad respondendum prouocat, eumque, cum mortuus non compareret, contumacie accusat. Ex interuallo, quasi is contumax item iam perdidisset, ab eius herede I. W postulat litiis reassumptionem. Qui, cum exceptione vteretur, litis nulla fuisse initia, a Iudicio Provinciali Lusat. Infer. ao. 1770. term. autumn. absolutus est. Actor autem expensarum etiam restituendarum causa fuisse condemnatus, nisi alia immixta contentioni fuissent capita. Reliqua, quae in controuersiam tum veniebant, at ea quidem parui momenti, ex rationibus, si placet, videri possunt sententiae additis, quas hic describam: Dieweil x. (interiecta sunt alia, quae ad rem

f) Tit. II. §. 8.



9408.

rem nihil faciunt) hingegen, was den angeblich in dem Vol. II.  
befindlichen Proceß anlangt, von solchem, daß es jemahls ein  
Proceß gewesen, nicht gelagt werden mag, gestalt Kläger zwar  
dasselbst eine Klage wider Beklagten Erblasser eingegeben, auch  
Citation ausgebracht, diese Citation aber nach dessen Tode ver-  
möge des Recepisse fol. 28. nur seiner Wittwe insinuirt, mithin  
derselbe noch niemahls Beklagter worden, wobei die Replic, daß  
den Privat-Nachrichten der Wittwe nicht zu trauen sey, theils,  
da ein falsum nicht zu praesumire, zumahnen die Wittwe im Fall  
eines falschen Angebens vor allen Schaden hätte haften müssen,  
theils weil Klägern, im Fall daß er wegen eines unwahren Un-  
gebens aufzugeblieben wäre, sein Außenbleiben wegen Mangels  
eines richtigen Recepisse, gestalt selbst auf solchem der Tod dessen,  
der erscheinen sollen, angemerkt zu befinden, keinen Schaden zu-  
fügen können, ganz unerheblich, die wissenschaftlich wieder einen Ver-  
storbenen eingebrachte Provocation und Ungehorsams-Beschul-  
digung aber ohne alle Wirkung ist, und dadurch ein Proceß nicht  
abhängig gemacht werden mögen, solchergestalt ein Proceß, der  
niemahls existirt, da die bloße Klage und ausgefertigte aber noch  
nicht insinuerte Citation einen Proceß nicht ausmachen, auch  
nicht continuirt, noch dessen Reassumption, als welche in der  
Erklärung zur Fortsetzung des Litigii bestehet, gefordert wer-  
den kann: ic.

ULB Halle  
002 265 427

3



(f) 56.







D E

LITIS IVDICIALIS INITIO

P R A E S I D E

D. ERNST GOTTFRIED CHRISTIANO  
K L V G E L

IUR. SAX. P. P. O. IUDICII PROVINCIALIS IN LUSATIAE IN-  
FERIORIS MARCHIONATU ET FACULTATIS IURIDICAE  
WITTENBERG. ASSESSORE

AD DISCEPTANDVM  
PVBLICA DISPVTA TIONE

DIE XVII. SEPTEMBR. A. O. R. CICICCLXXVIII.

PROPONET

CHRISTIANVS CAROLVS BRESCIVS.

LVBBENA - LVSATVS.

WITTENBERGAE

TYPIS ADAMI CHRISTIANI CHARISII.

